Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

interea rogabant eum discipuli eius dicentes. Ra
bi manduca. Ille autem dixit eis. Ego cibum habeo
manducare: quem vos nescitis. Dicebant ergo
discipuli ad invicem. Numquid aliquis attulit
ei manducare. Dicit eis Jhus. Meus est cibus
ut faciam voluntatem eius qui misit me. ut perficiam
opus eius. Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor
menses sunt et messis venit. Ecce dico vobis. Leva
te oculos vestros et videte regiones quia albe sunt iam
ad messem. Et qui metit mercedem accipit et congregat
fructum in vitam eternam: ut et qui seminat simul
gaudeat et qui metit. In hoc enim est verbum verum. Quia
alius est qui seminat: et alius est qui metit. Ego mi
si vos metere quod vos non laborastis. Alii laborauerunt. Et vos in labores eorum introistis. Ex ciuitate
autem illa multi crediderunt in eum samaritanorum propter
verbum mulieris testimonium perhibentis: quia dixit
mihi omnia quecumque fecit. Cum venissent ergo ad
illum samaritani rogauerunt eum ut apud eos maneret. Et man
sit ibi duos dies et multo plures crediderunt propter sermo
nem eius: et mulieri dicebant: Quia iam non propter
tuam loquelam credimus. Ipsi enim audiuimus
et scimus quia hic est vere saluator mundi. Offertorium
Deus deus meus rex meus et deus meus quoniam ad te orabo dum
Respice domine propitius ad munera que sacra
mus. ut et tibi sint grata et nobis salutaria semper
existant. Communio
Qui biberit aquam quam ego do dicit do
minus samaritane fiet in eo fons aque salientis in vitam eternam
Huius nos domine percepto sacramento mun
det semper et ad celestia regna perducat. Per supplicem